

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

INDEX

Disputationum ac Carminum Uolomi.
ac comprehensionum.

- | | |
|--|---|
| I. Exercitior Ethica M. Uelstemii | XIV. De Apoplexia D. Parouii. |
| II. Centuria Quaestionum Ethicarum
una M. Strauchii. | XV. De Affectibus M. Haackhoff. |
| III. De Affectibus Quaestiones
Illustrium M. Aschardt una. | XVI. De Phrenitide D. Sigfrich. |
| IV. Disputatio Ethica M. Martini. | XVII. De Barbyenio M. Beckmann. |
| V. Decem Quaestiones Metaphysicarum
M. Strauchii. | XVIII. De Resurrectione Christi Bechtii. |
| VI. Disputatio de Emendationibus
M. Giesemii. | XIX. Gratiarum Actio ad Viam pro
Clitoria de Turris habitata Gambara. |
| VII. Disputatio quaestionum aliquot
in continens M. Timpleri. | XX. Epithia Germaniae deplorantis
Urarum in Eccliam Seditam Johanni
Philippo. |
| VIII. Theoremata quaedam Physica
M. Werenbergers. | XXI. In Natallem Principis Anhaltini 1724. |
| IX. Enumeratio Quaestionum Physicarum
M. Strauchii. | XXII. In obitum Johannis Ernesti M. Timpleri. |
| X. Theses de Sexu M. Fleisseri. | XXIII. Uota Nuptialia P. Uetere v. |
| XI. De Terra Motu M. Strauchii. | XXIV. In Nuptias M. Schröteri. |
| XII. De Sensu Interioribus Cramerii. | XXV. Nuptias Johannis Forwickelii
D. Wolfgangi Anlingii. |
| XIII. De Sensu Exterioribus Cramerii. | XXVI. Johannis Basm. |
| | XXVII. M. Danielis Alonchmeieri. |
| | XXVIII. Jacobi Gregorii Praetoris. |
| | XXIX. Andrea Orlandii. |
| | XXXI. D. Wolfgangi Anlingii. |

v.

- XXXII. N. Kestemitz
XXXIII. Daniel Alberti
XXXIV. D. Petri Lofsen.
XXXV. D. Martin Löffler.
XXXVI. Gratulatoria in honorem
Magisteri Benedicti Hornmanni.
XXXVII. Mambor Lappeltz.
XXXVIII. Mambor Justi Löffler.

an. XVII.

Theses Medicæ
DE
PHRENITIDE,

ad quas

D. O. M. A.

Præside

IOHANNE SIGFRIDO PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE ET
in illustri IVLIA Professore, pro tempore amplissimi Collegij Medici Decano, & Academiae Vice Rectore;

Pro assumendo in arte Medica gradu Doctoratus
respondebunt:

M. GEORGIUS AEP LINVS Kitzbingensis Francus.

*IOHANNES MELLINGERVS Ienensis Physicus Hildesien-
sensis.*

*IOHANNES MYLIVS Goldbergensis Lignicensium Physi-
cus ord.*

HENRICVS ADOLPHVS HORSTIVS Schvveidnicensis.

Citra præiudicium Eruditionis forte
locati.

*Fiet disputatio 4. Augusti hora & loco
consuetis.*

HELMAESTADII

Typis hæredum Iacobi Lucij, Anno
cl^o h^o xcviii.



PHARMACOPŒA

IOHANNES SEBASTIANUS PHILIPPO
PRŒFACIO

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.

PHARMACOPŒA
M. D. C. C. C. C.





DE PHRENITIDE.

Respondebit

M. GEORGIUS ÆPLINVS

Kitthingensis Francus.

THESIS I.

Priniceps animæ facultas tribus modis, teste Galeno, lædi & adfici solet, aut enim diminuitur, & *μωρία* Græcis, Fatuitas seu Stoliditas Latinis vocatur: aut aboletur, & *ἀνοια*, hoc est, amentia dicitur; aut deprauatur, & *παρὰφροσύνη*, hoc est, desipientia seu delirium vocatur. *2. Symp. cap. 4.*

II.

Deprauatæ huius actionis, adeoque desipientium tres sunt ordines; quidam cogitatione sola etiam vigilantes, delirant: alij verbis, qui imprudenter, nullo ordine, nulloque iudicio multa obloquuntur, & quicquid in buccam venit garriunt & effutiunt: nonnulli opere vel factis ex-
plent, quæ in mentem veniunt.

III.

Cæterùm desipientia alia est cum febre, vt Phrenitis & Paraphrosyne; alia sine febre consistit, vt Melancholia, Mania. His omiſſis de Phrenitide hoc loco agemus. *Gal. 3. loc. ad. c. 5.*

IV.

Phrenitis autem dicitur *ἀπὸ τῆς φρενὸς* id est, à mente, quod

quod mens, quam alij *ἔσθ*, alij *ἀνάστασις* appellant, in hac adfectione lædatur. Vnde ab Hipp. attestante Galeno, omnes, qui mente læsi fuerint, Phrenetici vocantur.

V.

Auicenna duo Phrenitidi imponit nomina. Nam interdum Karabitum vocat, Arabica voce, ab accidente, alienatione scilicet mentis, seu delirio. Interdum Persica voce, Sirsen calidum nominat; à Sir, quod est caput, & Sen, quod est apostema. Calidum verò dicitur ad differentiam Lethargi.

VI.

Lib. 7. c. 50.
Ess. Celsus Maniam vocat cum febre. Plinius ægritudinem sapientiæ appellat. Latini Græcum nomen retinentes Phrenitida nominant, Germani *Hirnwüten*.

VII.

Nomen autem Phrenitidis dupliciter accipitur, aliquando pro symptomate, ipsa nimirum actione læsa, in qua significatione Auicenna utitur, cum dicit esse alienationem mentis: nonnunquam pro Cerebri præter naturam dispositione seu Morbo, quem alienatio seu delirium sequitur.

VIII.

Phrenitis duplex est, Vera seu exquisita, quæ proprio nomine Phrenitis vocatur, & Notha, quæ Paraphrenitis seu Paraphrosyne dicitur.

IX.

Gal 1. proor.
rh. 8. 2.
symp. c. 2. 3.
loc. ad. 7. 4. Phrenitis vera est inflammatio Cerebri, aut membranarum eius cum febre acuta coniuncta, delirium & mentis alienationem inducens.

X.

praesag.
pug. 7. Pan
luc. lib. 3. c.
6. Trall. 11.
3. c. 13. Gignitur autem Phrenitis cum humor calidus & tenuis, vel à toto, vel à parte transmissus, aut ad id attractus caput petit, ac per Cerebrum vel eius membranas diffunditur,

tur, vbi ob in angusto coarctationem & prohibitam transpirationem putrescit, temperiem calidam inducit, ac inflammationem incurrit. Vnde Princeps facultas Cerebri ita labefactatur, vt eius actio corrumpatur & deprauetur.

XI.

Paraphrenitis, quam quidem simplex delirium vocant, est adfectio Phrenitidi haud absimilis, quæ ob acrium vaporum ad caput eleuationem in febribus ardentibus, aut in inflammatione diaphragmatis, aliarumue partium accidit.

XII.

Differt hæc ab illa tribus modis: Nam Phrenitis ex proprio ac primario Cerebri adfectu oritur, vt ex inflammatione, Erysipelate. Paraphrenitis verò ex consensu aliarum partium, nempe propter inflammationem Pericranij, Temporum, retro Aures, Diaphragmatis, Epatis, Vteri, Ventriculi, Præcordiorum &c.

XIII.

Deinde Phrenitis causa febris est, febrim & mentis alienationem, seu delirium perpetuum inducens. Paraphrenitis verò symptoma est, febris, aut alterius morbi grauioris. Ad febres enim sequitur, cum quibus etiam intenditur & remittit.

XIV.

Deniq; Phrenitis rarissima est. Paraphrenitis verò frequenter accidit. Hæc etiam facilè, illa minus facilè curatur.

XV.

Subiectum Phrenitidis seu pars adfecta duplex est: aut Cerebrum aut Membranæ id inuoluentes, nimirum tenuis Meninx, quæ vulgo pia Mater vocatur, & crassa seu dura Mater. Gal. 2. loc. ad Vlt.

XVI.

At verò vtrum Cerebrum aut Membranæ apostema

seu inflammationem incurrant, vti muscoli & aliæ partes, controuersia inter Medicos & veteres & recentiores haud leuis existit.

XVII.

Sunt qui existimant, non Cerebrum, sed Membranas tantummodò inflammationem pati, probantq; suam sententiam ratione & autoritate.

XVIII.

Nam membra extremè dura aut mollia, apostema non patiuntur, siquidem extendi non possunt, sed quæ media sunt, vt caro, neruus &c. Cerebrum autem molle admodum est, nec extendi potest, Ideoq; materiam adfluentem recipere & retinere atq; inflammari non potest.

XIX.

Rhases adfirmat, piam Matrem, cuius substantia mollior est, Venis & arterijs plurimis referta ac propterea calidior existit, magis inflammari.

XX.

*Tract. 3.
lib. 1. c. 5.*

Auenzoar & Serapio, asserunt, duram Matrem, magis inflammatione tentari, tum quod sit capacior, tum quod magis distet à Cerebro, & natura de eius tutela minus sollicita sit.

XXI.

Verum absurdum non est astruere, Cerebrum, Pulmones & alias partes molles inflammari, quandoquidem dum nutriuntur & augentur præter naturam quoq; extenduntur.

XXII.

*Lib. 2. de
morb.*

7. aplo. 5.

Galen. 2.

sympt. caus.

7. 11. m. m.

1.

Præterea Hippocrates iudicia & curationem Cerebri inflammati proponit; Et sphacelari Cerebrum testatur. Sic Galenus scribit, neq; in Cerebri, neque in membranarum eius inflammatione, Cucurbitulis in morbi initio vtendum esse.

Con.

XXIII.

Concludimus ergo & Cerebrum inflammari & Membranas; frequentius tamen tenuem, quàm crassam. Afferimus etiam hanc facilius ab iniurijs externis, illam verò à causis internis promptius lædi & inflammari, seu apostema contrahere.

XXIV.

Nec sequitur partem mollem, & quæ plures habent venas frequentius inflammari. Hoc enim si verum esset, Pulmo sæpius & frequentius, quàm Musculi aut aliæ partes inflammarentur, quod eius substantia mollis sit, & plures ac maiores in se diffusas contineat venas & arterias.

XXV.

Neq; etiam hoc valet, si dicas: pars hæc crassior & ignobilior est, Ergo frequentius inflammatur, quia Unguis est crassior & ignobilior membrana, carne &c. non tamen frequentius Apostema patitur. Nam quæ crassa sunt haud facilè humores recipiunt & imbibunt. Quamuis non negamus aliquando fieri. Nam & ipsa ossa, teste Galeno, Apostema incurrunt, vel vt 6. meth. loquitur, adfectu Phlegmoni similem patiuntur.

XXVI.

Constat Cerebrum inflammari; at quæritur, an Cerebrum totum, an verò secundum partem aliquam, eamque vel anteriorem, vel mediam, vel posteriorem, adfectionem hanc patiatur; Et, vtrum, si vna pars laboret, reliquæ in consensum trahantur.

XXVII.

Quidam existimant, partem mediam magis adfici, quod facultas ratiocinatrix in hoc adfectu primùm læsa conspiciatur; reliquæ autem minus lædantur.

Illam

XXVIII.

Illam verò primùm lædi, indè constat, quia ratiocinatio semper læsa obseruatur, quod nomen huic adfectioni impositum indicat. Nam Phrenitis dicitur, quod *Φρην* id est, mens adficiatur, seu ratio. Omnes etiam Medici Græci & Arabes testantur, mentem in hac ægritudine semper adfici.

XXIX.

Alij, qui facultates animales, sensum communem seu Imaginatricem, Rationatricem & Memoratricem sedibus disclusas esse contendunt, modò anteriorem, modò mediam, modò posteriorem, adfectam esse affirmant, quod Imaginatrix in anteriore, Rationatrix in media, Memoria in posteriore Cerebri parte sedem fixam habeat, & quod hac vel illa actione læsa, medicamenta diuersis capitis partibus, modò Syncipiti, si Phantasia, modò mediæ parti, si Ratiocinatio, nunc Occipiti, si Memoria lædatur & adficiatur, imponantur.

XXX.

Verùm facultates hæ nullo modo sedibus disclusæ sunt, sed totius sunt Cerebri, in cuius toto corpore æqualiter fusæ sunt, vna eademq; essentia continentur, vna sede firmantur, circa spectra eadem negociantur, similiq; vtuntur instrumento corporeo, quanquam efficiendi ratio est diuersa.

XXXI.

Quemadmodum enim in alijs sæpè accidit, vt vna causa efficiens, eodem vsa instrumento, diuersos producat effectus, quod dissimiliter operi id adhibeat, aliterque vires intendat: Ita princeps ille sensus multò facilius id præstabit; qui etsi in organo est corporeo, functiones tamen occultas obit, potius accurata ingenij intentione & obseruatione ad res adhibita, quàm organorum ope. Omnes enim fun-

*Fern. lib. 5.
Phyf. 11.*

functiones in ipsius sunt potestate, quas dum vult exhibet,
& perficit.

XXXII.

Quin & ipsa Anima actiones suas, aliàs expeditius, aliàs segnius edit. Animaduertimus enim alios cogitatione & ingenio valere, quibus infirma est Ratiocinatio & Memoria: Alios Memoria rerum præstare, in quibus aut nihil, aut parùm est iudicij vel rationis; Alios solum præditos esse iudicio, in quibus debilis ac minus prompta est Imaginatio & Memoria. Quas actiones varias efficit, non Animæ substantia, sed Corporis & Instrumentorum eius varia constitutio, ex conformatione & Temperamêto contracta, quorum conditionem Animæ facultates & mores sequuntur.

XXXIII.

Quod autem interdum quædam facultates & actiones lædantur, alijs illæsis, inde fieri certum est, quod quæcunque facultas natura aut vitio debilis ac infirma existit, irruentibus causis & iniurijs minus resistit, promptiusq; offenditur; quæ verò firma ac valida est, magis resistit ac minus patitur. Vnde si leue est delirium, is, in quo imaginatio infirma est, sola imaginatione delirabit; in quo verò cogitatio seu ratiocinatio debilis ac imbecilla fuerit, is præposterè iudicabit & ratiocinabitur; quod si vehemens existat delirium, omnes facultates pariter peruertentur ac lædentur.

XXXIV.

Eadem in reliquis facultatibus ratio est; quæ imbecillior est, prosternitur, quæ validior occurrentibus iniurijs, resistit, etiamsi eadem sede consistant & contineantur omnes.

XXXV.

His addo vniuersam Græcorum Medicorum familiam,
B qui

1. Symp.
caus. 8.

qui omnes iisdem Principijs informati, læsa Memoria, non solum Occipiti; aut læsa imaginatione, non Syncipiti tantum, sed toti Capiti remedia adhibere iubent: id ratum habentes, partem animæ phantasticam & imaginari & ratiocinari, & recordari, rerumq; impressiones conseruare.

XXXVI.

Lib. 2. de
mor. misc.

Deniq; Galenus nusquam istorum domiciliorum mentionem facit, sed simpliciter has facultates in Cerebro suam sedem obtinere adfirmat, & ex sententia Hippocratis & Platonis scribit, vnam eandemq; partem cogitare & meminisse.



DE CAUSIS,

Respondebit

IOHANNES MELLINGERVS Ienensis
Physicus Hildesienfis.

XXXVII.

PORRò hunc morbum creare possunt, omnia quæ Sanguinem ac Bilem gignunt & exurunt, ac Cerebrum eiusque Membranas plurimùm excalefaciunt.

XXXVIII.

Causæ autem aliæ sunt Externæ, aliæ Internæ.

XXXIX.

Externæ seu Procatarticæ causæ sunt, primùm *περὶ* *Φερόμενα*, quæ corpori admouentur, vt sunt Aër calidus attractus, calor Solis vel Ignis, Cibi calidiores, Cape, Porrum, Allia, Medicamenta calida, Aromata, Vina potentia &c.

XL.

Deinde ad externas causas pertinent *πίεμενα*, quæ fiunt

fiunt & peraguntur, cuiusmodi sunt vehemens & frequens cogitatio, vigilia nimia, animi perturbationes vehementiores, ira, furor, item ambulationes, equitationes, vectio- nes, longa mora in Sole, balnea calefacientia, motus cor- poris vehementior, & alia quæ materiam calidam efficiunt, eam fundunt & ad caput attrahere valent.

XLI.

Internæ causæ aliæ sunt Mediatae aliæ Immediatae.

XLII.

Mediatae seu Antecedentes causæ sunt, temperatura Gal. 5. loc. ad 3. calida & sicca, præsertim circa caput, ætas iuuenilis & con- sistens, sexus virilis, febris ardens, Pleuritis, Peripneumo- nia, Retentio menstruorum, obstructio Hæmorrhoidum, fluxus sanguinis è naribus repressus, sudores cessantes.

XLIII.

Immediatae seu proximæ causæ huius morbi sunt: hu- 1. Sympt. caus. 8. mores tenues subtiles, acres, vt Sanguis calidior & Bilis, 3. Sympt. caus. 7. qui ad Cerebrum vel eius Membranas sublatis, vel attracti, putrescunt & inflammationem inducunt.

DE DIFFERENTIIS.

XLIV.

Differentiæ Phrenitidis variæ sunt, quæ sumuntur à Materia, à loco adfecto, Forma & Intemperie.

XLV.

Materia est, sanguis & bilis, Sanguis qui tenuis & bi- liosus est, eam Phrenitidis speciem inducit quæ fit cum ri- su, & vocatur Phrenitis sanguinea.

XLVI.

Bilis varietate sua varias etiam & diuersas inducit Phrenitidis differentias, Est enim vel pallida vel citrina, si- ue flaua, vel adusta, siue præassata.

XLVII.

Gal. 10. simpl. med. fac. Si bilis fuerit pallida, & Phrenitis & febris erit mitior. Pallida enim sincera non est, sed seroso humore permixta, quæ tantum delirium inferre nequit.

XLVIII.

Si verò flava bilis, quæ pallida calidior est & acrior, sursum ad Cerebrum feratur, oritur Phrenitis vehementior & febris maior, quæ Cholericæ vel biliosæ nominari potest.

XLIX.

Si flava bilis fuerit immoderatus excalescens, & plus iustò adusta & ad atram bilem proximè accedat, eiusq; naturam quodammodò referat, ferina fit Phrenitis, in qua more ferarum ægri sæuiunt & insaniunt. Et hæc Phrenitis Melancholica appellari potest, sed minus propriè: Alij efferatam vocant, alij tumultuosam.

L.

Ex pituita Phrenitidem oriri apud Oribasium legitur. at nunquam aut rarissimè accidit, & si fit, non vera, sed notha seu falsa teste Tralliano nominatur.

LI.

Gal. 6. E- psd. 6. com. 36. Excluditur Atra bilis, quæ nunquam delirium inducit seu Phrenitidem, quamuis aliquando Phrenitis oritur ex Bilis & Melancholici humoris commixtione, quod colligitur ex casu illo, quem describit Galenus de vxore Dialcis, quæ laborabat mixto delirio ex Phrenitide & Melancholica affectione. Nam illa interdum plurimùm loquebatur, quod Phreneticorum est, interdum verò nihil, & hoc Melancholicum est.

LII.

Differentiæ à loco adfecto desumptæ eæ sunt: Vtrum Cerebrum secundum totum adficiatur, an verò secundum aliquam partem. Deinde si pars aliqua tantummodò ad-
ficia-

ficiatur, vtrum sit anterior, vel posterior, vel media.

LIII.

Verùm vt facultates sedibus non sunt distinctæ, ita nec Cerebrum, quod illarum subiectum est, commode in partes secare licet. Accedit quod in omni Phrenitide medicamenta non Syncipiti, sed toti Capiti applicantur & imponuntur, vt supra dictum est. 1. Symp. caus. 8.

LIV.

Differentiæ à Forma quæ desumuntur, secundum tres Facultates, tres ab Autoribus constituuntur: Aut enim Imaginatrix facultas solum læsa est, illæsa manente Rationatrice & Memoratrice: aut Rationatrix tantum adficitur, salua Imaginatrice & Memoria; aut Imaginatrix & Rationatrix simul læduntur & corrumpuntur, Memoria salua permanente.

LV.

His additur quarta: Nam interdum memoria etiam deprauatur, nonnunquam aboletur & deperditur, quod cum fit Imaginatio & Ratio simul pereunt.

LVI.

Quibus Imaginatio læsa est, rectè quidem iudicant sed deprauatè imaginantur, & quidem ea, quæ nusquam sunt, aut ita se habent. Si Ratio offenditur, Imaginatio quidem salua est; rectè enim imaginantur, sed non rectè iudicant. Si memoria violetur, ægri præterquam quod nihil meminerunt, etiam non rectè imaginantur, neq; iudicant.

LVII.

Imaginatricem facultatem lædi, salua manente rationatrice & memoria docet Galenus exemplo Theophili Medici ægrotantis, qui cum alioquin sapienter se haberet, neque quicquam temerè ageret; omnesq; præsentès pulchrè nosceret, tibicines quosdam in angulo cubiculi sui esse, eosq; partim sedentes, partim consistentes videre & sine

*Symp.
diff. c. 3.*

vlla intermissione nocte dieq; canentes audire, arbitratus est. Exclamavit igitur atq; iussit, vt è cubiculo atq; domo eijcerentur. Postquam autem conualuit, omnia quæ præsentibus aut dixissent aut egissent, probè narrabat & imaginationis de tibicinum tædio meminit.

LVIII.

4. loc. adf.

Aliud huius Phrenitidis exemplum Galenus recitat, quod se ipsum perpeffum scribit his verbis: Quum per æstatem ardenti febre laborarem, & festucas atro colore excubili eminere, & floccos similiter in vestibus esse putarem, quos auferre tentans, nihilq; sub digitis educum inueniens, accuratius vehementiusq; id efficere conatus sum. Audiens itaq; duos ex amicis qui tunc aderant, dicentes: Videsnè hunc iam & floccos euellere & festucas colligere? statim intellexi, id ipsum, quod dicebant, me fecisse. Quum verò sic animo constarem, vt rationalis in me facultas non vacillaret; rectè inquam, dicitis: proinde ne Phrenitis me corripiat, auxilio estote. Illi autem cum idoneis rigationibus caput fouerent, tota die, sequenteq; nocte, & grauibus insomnijs turbatus sum, vt interim & clamare & exsilire viderer. Verùm postero die, mitigata sunt omnia accidentia.

LIX.

4. loc. adf.
6. 1.

Rationatricem facultatem adfici, manente Imaginatrice & Memoria, declarat Galenus exemplo cuiusdam, qui Romæ domi cum lanifici puero continebatur. Is è cubili surgens ad fenestras per quas ipse videri & prætereuntes videre potuit, accessit ac singula vitrea vasa promens & prætereuntibus ostendens, interrogauit, imperarentnè vt proijceret? Ipsi verò ridentes, plaudentesq; vt ea proijceret, rogabant, tum ipse omnia arripiens, deiecit, ac illi magnis acclamationibus riserunt. Postea iuberentnè puerum quoque

que proijci, cum eos interrogasset, atq; id illi iussissent, ill-
cò ipsum deiecit, quem ex alto cadentem videntes, sup-
presso statim risu accurrerunt, & confractum iam puerum
fustulerunt.

LX.

Vtramque facultatem nempe Imaginatricem & Ra-
tionatricem aliquando corrumpi & lædi idem Galenus ^{3. Sympt.}
declarat. In cogitandi functione amentia, quasi reso- ^{caus. c. 7.}
lutio quædam est. Stulticia siue fatuitas veluti imperfe-
ctus ac deficiens motus est. Delirium vocatur motus aber-
rans veluti deprauatus.

LXI.

Deniq; Memoriam lædi in hac adfectione experientia
demonstrat. Nam ægri sæpius matulam petunt & tamen vt
mingant obliuiscuntur. Galenus exemplum deperditæ me- ^{diff. Sympt.}
moriæ proponit ex Thucidide desumptum, qui scribit nò- ^{c. 3.}
nullos qui à magna illa quæ Athenis fuit peste conualue-
runt, eatenus omnium quæ præstitissent oblitos, vt non so-
lum propinquos, sed etiam seipsum ignorarent. Idem scri- ^{3. Sympt.}
bit se quendam nouisse, qui ob laborem in studijs & vigili- ^{caus. 7.}
is Memoriam penè amiserat, læsa etiam ratione. Item A- ^{Gal. 1.}
gricolam qui ob labores quos vites colendo subierat, ac ^{prorhr. 33.}
tenuem victum, eodem modo adfectus est. Atque hi exic-
cantibus calorificisq; lædebantur.

LXII.

Ab efficiente Capiuaccius discrimen sumit. Efficiens
autem est intemperies, eaq; calida cum materia, quæ vel
humida vel sicca, & præterea modò æqualis, modò inæqua-
lis, & vel in habitudine vel in habitu.

LXIII.

Si intemperies inæqualis & in habitudine, oritur Phre-
nitis tumultuosa, si æqualis & in habitu, gignitur Phreni-
tis hæctica, quam Galenus obscuram Phrenitidem vocat.

Ab

Ab Hippocrate blanda & contractabilis dicitur, & obscura, quia cognitu difficilis est, non solum Idioris sed etiam Medicis.



DE SIGNIS,

Respondebit

IOHANNES MYLIVS Goltbergensis Lignicensium Physicus ord.

LXIV.

Signa Phrenitidis duplicia sunt, quædam Diagnostica, Salia Prognostica. LXV.

Diagnostica signa, alia futuram seu imminentem indicant, alia præsentem & iam factam demonstrant.

LXVI.

Inter hæc verò quædam sunt propria, quæ perpetuò ac semper adsunt, ac solis Phreneticis contingunt; quædam communia, quæ non semper apparent in Phreneticis, sed etiam in alijs morbis deprehenduntur.

LXVII.

Signa Phrenitidis imminentis & iam exordientis sunt; Vigiliæ præter consuetudinem immoderatae, somnus post longam expectationem levis, turbulentus & laboriosus, ac varijs imaginibus terrefaciens, nec non somnia horrenda, nunc clamitant, pugnant, æstuant, sublimes se erigunt & turba mirantur in omni, opes censusq; iactitant, ac maiorum stemmata narrant.

Gal. 5. loc. ad. 3.

LXVIII.

Adest Febris continua, spiratio est rara & magna, pulsus parvus sed velox & nervosus seu tensus, alius est astricta, Urina tenuis alba & pellucida. Non.

LXIX.

Nonnunquam dolor occipitis infestat, qui etiam secundum summas vertebrae percipitur, quod grandes venae & arteriae ibi sint positae, quae sunt viae, per quas humores ad caput confluunt, tempora saliunt, frons intenditur, oculi micant, hypochondria pulsant.

LXX.

Insequitur quoque agrestis seu irrationalis obliuio. Nam etsi cibum potumque aut matulam ut urinam reddant, petunt, non tamen bibunt, neque locium emittunt, aut si mingunt matulam reddere haudquaquam meminerunt.

LXXI.

Interdum maiori cum tumultu & temeritate ad interrogata respondent, cum tamen antea fuerint mansueti & placidi, sunt prouisi ad iram sine manifesta causa, strident dentibus, sunt βραχυπνεύται & parum bibunt.

LXXII.

His additur temperies calida sanguinea vel biliosa, aetas iuuenilis & puerilis, reliquae enim minus hoc morbo tentantur.

LXXIII.

Factae iam seu praesentis Phrenitidis signa sunt duplicia. Nam quaedam adfectum ipsum ostendunt, quaedam causam morbi indicant.

LXXIV.

Ipsius morbi signa sunt: Intellectus perturbatio, delirium perpetuum, vigiliae multae, febris ardentissima, totum corpus & partes internas adurens, oculi vehementer squalidi, lacrymae acres, interdum ex vno oculo fluentes, lippitudo, venae oculorum sanguine plenae & turgentes, in oculis qui cruenti ferè apparent tremulae quaedam veluti prominentis ignis scintillae splendent, toruus aspectus, haemorrhagia seu fluxus sanguinis è naribus, lingua salebrofa
C est seu

Gal. 5. 106
ad. 3.

est seu aspera & nigra propter nimiam exiccationem & ad-
ustionem humorum, quandoque flava propter bilis abun-
dantiam, vel si vapor sit biliosus.

LXXV.

Præterea nihil prudenter respondent, floccos auel-
lunt & festucas carpunt, clamant, percutiunt. Interdum
sunt quietiores, nec ita clamant & vociferantur, nec per-
cutiunt, sed moesti iacent ac prostrati, in audiendo falli vi-
dentur, ad interrogata vix respondent, aut submissa voce
loquuntur, ut ab astantibus audiri & intelligi non possint,
dispositione dolorifica in aliqua parte adfecti nequaquam
sentiunt, quod ratio læsa sit, iuxta id Hippocratis. Qui-
cunq; parte aliqua corporis laborant & dolorem non sen-
tiunt his mens ægrotat.

LXXVI.

Signa causam morbi indicantia, sumuntur à natura
humoris peccantis & morbum facientis.

LXXVII.

Signa Phrenitidis Sanguineæ sunt: temperamentum
calidum, febris continua, rubedo in facie & circa oculos,
pulsus magnus, delirium cum risu, respiratio magna, fluxus
sanguinis è naribus, lachrymæ ex oculis profluentes, ima-
ginatio rerum rubearum ob oculos obuersantium, lingua
primùm aspera & rubea post nigra, sunt inquieti, modò
stant, modò sedent, calor enim incitat ad motum, graui-
tas verò deprimat & erectionem prohibet.

LXXVIII.

Signa Phrenitidis biliosæ sunt: febris continua ar-
dens, complexio biliosa, delirium vehemens, corporis mo-
tus maior, vigiliæ intensæ, propter caliditatem & siccita-
tem bilis, oculi valdè mobiles, lingua aspera citrina, mox
nigra, apparentia rerum flauarum ante oculos, rixa, garru-
litas.

litas, verbera minantur, & quandoq; percutiunt, nares at-
tenuantur circa extrema, frons ad superiora attrahitur &
conuulsione quadam adficitur.

LXXIX.

Signa Phrenitidis à bile exusta sunt; febris acuta, ocu-
lorum obscuritas, lingua statim arida & nigra, symptoma-
ta horrenda & ferè dæmoniaca, saltus, rixæ, contentiones,
anhelitus inæqualis, interdum frequens, interdum tardus.
Nam respirare obliuiscuntur, mox necessitate coacti ma-
gnum emittunt anhelitum, pulsus paruus & creber, ven-
tris constipatio, vrinæ retentio, conuulsio crurum, iactatio
corporis, modò in hanc modò in illam partem, floccos &
festucas carpunt, interrogati non respondent, toruus aspe-
ctus, oculi lippí, interdum lachrymantes, nonnunquam
extrema sunt frigida, interiora verò vruntur.

LXXX.

Signa quæ differentias Phrenitidis indicant, sumun-
tur à Forma, Subiecto & Intemperie.

LXXXI.

Signa à forma desumpta facilè cognoscuntur è modo
delirij & ipsis actionibus deprauatis, pro vt Imaginatio,
aut Ratiocinatio, aut vtraque, ac Memoria læditur.

LXXXII.

Signa à subiecto desumpta duplicia sunt: Si enim to-
tum Cerebrum adficiatur, omnes actiones principales
sunt læsa. Si verò vt illi existimant, qui facultates Cere-
bri sedibus disclusas esse contendunt, Imaginatiua depra-
uetur anterior, si Ratiocinatiua media, si Memoria poste-
rior Cerebri pars adficitur. Sed hæc ad curationem pa-
rùm conducunt.

LXXXIII.

Signa à causa efficiente & intemperie hoc modo se ha-
bent:

bent: Intemperiem calidam & humidam indicant, sanguis, delirium cum risu & alia de quibus supra dictum est in sanguinea Phrenitide. In intemperie calida & sicca, symptomata omnia sunt vehementiora.

LXXXIV.

Si intemperies sit inæqualis, adeoq; Phrenitis tumultuosa adfit, maximè delirant, insaniunt, clamant, rixantur, erigunt se, sunt tumultuosi & inquieti, manibusq; gesticulantur. Si æqualis est intemperies & Phrenitis hectica existat, quam prægressa est tumultuosa, ægri iacent quasi dormientes, nec tamen dormiunt, nunc sese agitant, manus tremunt ob imbecillitatem, pulsus parvus & debilis.

PROGNOSTICA.

LXXXV.

1. prognost.
com. 23.

Hippocrates & Galenus testantur: Vniuersum Phrenitidis genus exitiale esse, quod fit cum ratione loci affecti, Cerebri, nimirum, quod pars princeps est, tum ratione essentiæ morbi & symptomatum, quia morbus est calidissimus & acutissimus, & grauissima in eo symptomata conspiciuntur, tum deniq; ratione facultatis vehementer læsæ, tum animalis, tum vitalis. Nam si pulsus est rarus facultatem vitalem debilitatam esse arguit.

4. caus.
puls. 14.
1. ad Glauc.
14.

LXXXVI.

Phrenitis quæ fit in dura membrana, procul dubio mala est, peior quæ fit in tenui meninge, sed omnium pessima, quæ fit in substantia Cerebri.

LXXXVII.

3. morb.
vulg.

Galenus acutissimam Phrenitidem esse testatur quæ primò statim die vnà cum febre inuadit, atq; fatetur, qui ita Phrenitide perciti essent, intra tertium diem mortuos esse, perpaucos autem, hosq; raros hunc superasse.

Minus

LXXXVIII.

Minus periculosa Phrenitis est, quæ cum risu fit, teste Hippoc.
Hippocrate, qui ita scribit: Desipientiæ quæ cum risu fi- ^{6.aph.53.}
unt securiores, quæ verò studio, periculosiores.

LXXXIX.

Grauiissima ea est, quæ ex adusta bile gignitur, vt Pau- ^{3.loc. adf.}
lus testatur. Si ab atra, intensissima existit. Atra enim bi- ^{7.}
lis maximè à naturali statu decedit.

XC.

Viri grauius laborant quàm foeminæ, & inter Viros
periculosius Iuuenes, quàm reliquæ ætates. Senes rarò cor-
ripiuntur & si corripiantur non euadunt.

XC I.

Vomitus in Phrenitide malum signum. Vomitus bilis
flauæ ad quem sequitur nullum leuamen, malus. Vomitus
bilis æruginosæ, lethalis.

XC II.

Vrinæ albæ, tenues ac pellucidæ in Phreneticis malæ. ^{4.aph.72.}
Designant enim morbi magnitudinem & morem prauum
vt Galenus docet.

XC III.

Alui deiectio albicans interitum denunciat, quia bilis
non fecernitur in intestina sed cum sanguine ad caput fer-
tur.

XC IV.

Stridor dentium non consuetus à pueritia, exitiosus
est & signum conuulsionis.

XC V.

Conuulsio Phrenitidem subsequens, præsertim ob sic-
citatem, lethalis.

XC VI.

Rigor in Phrenitide criticus, malus non est, manifestè ^{1. Prognost.}
enim indicat remissionem, vt per sudores Phreneticus libe- ^{13.}

retur, & tunc apparent signa coctionis. Si verò rigor sit
symptomaticus magnam indicat vehementiam.

XCVII.

Sic sudor frigidus & extrema frigida, vehementiam in
materia morbifica insignem denotant. Nam calor vnà
cum Spiritu & sanguine ad interiora ruens, extrema dere-
linquit.

XCVIII.

Deniquè & hoc obseruandum est Phrenisin multis mo-
dis terminari. Nam interdum resoluitur, quandoque per
viam crisis euacuatur, nonnunquam in alium morbum
transmutatur, seu alij morbo succedit.

XCIX.

Quæ resoluitur & Criticè euacuatur salubris est. Infa-
lubris verò & periculosa quæ in alium morbum conuerti-
tur.

C.

Resoluitur autem morbus si calor natiuus fuerit robu-
stus, materia pauca nec admodum acris, & facultas expul-
trix valida.

CI.

Criticè si euacuatur id fit, aut per sudores, aut fluxum
sanguinis è naribus, interdum per hæmorrhoidum aper-
tionem, quandoq; per deriuationem materiæ ad glandulas
post aures, vel alias partes.

CII.

Permutatur autem seu transit Phrenitis vt plurimum in
Lethargum, vel Hæcticam, vel Sphacelum.

CIII.

In Lethargum mutatur vel quando materia biliosa
sanguini & pituitæ admista per insensilem euaporationem
resoluitur, vel quando medicamenta nimis frigida Capiti
diutius imponuntur, quæ sanguinem & Spiritus refrige-
rant.

CIV.

In Hæcticam terminatur, cum materia biliosa exusta
nimi-

nimum exiccat membra, eisq; febrilem habitum imprimit, quandoque etiam Hectica Phrenitidi adsociatur & complicatur, quod cum fit lethifera est.

CV.

In Sphacelum permutatur, à materia tam sanguinea *Hip. 2. C. 3. de morbis* quàm biliosa, & tunc æger intra triduum moritur, teste Hipp. qui 7. apho. 50. scribit: Quibus Cerebrum Sphacelatur aut syderatum est intra tres dies moriuntur. Si verò hos superauerint sani fiunt.

CVI.

Phrenitis ex bile adusta quandoq; in Maniam transit, vel cum Mania complicatur & illi ægri moriuntur, quamuis Alexander refert, se Phreneticum ex atra bile liberasse.



DE CVRATIONE,

Respondebit

HENRICVS ADOLPHVS HORSTIVS

Soveidnicensis.

CVII.

HIC morbus cum acutissimus sit, non dat inducias, quare statim ab initio huic morbo occurrendum, ne incrementum capiat, teste Hippocrate, cum dicit: Medi- *4. Aph. 10.* cari in acutis, si turgeat materia, eo ipso die conuenit.

CVIII.

Conueniunt autem non leuia, sed validissima medicamenta. Nam vt Hipp. docet; Extremis morbis, extrema *1. Aph. 6.* exquisitè remedia conferunt.

CIX.

Indicationes autem curandi sumuntur à natura morbi, à loco affecto & virtute. Mor-

CX.

Morbus est in intemperie calida cum materia pars verò adfecta, vt supra dictum est Cerebrum vel eius membrana.

CXI.

Intemperies calida alteranda est contrarijs, nempe frigidis. Materia cum è toto euacuanda est, tum à parte adfecta reuellenda & deriuanda. Virtus recreanda & conseruanda.

CXII.

At verò vt hos fines adsequamur & morbum facilius propellere queamus, tria remediorum genera instituenda & adhibenda sunt, nempe Diæta, Chirurgia & Pharmacia.

CXIII.

Diæta seu victus ratio consistit in vero & legitimo sex rerum non naturalium vsu: Aër sit temperatus vt Spiritus animales ipsius temperie recreentur & refocillentur. Paulò tamen sit frigidior, & talis si natura non est, arte talis adficiatur, aqua frigida, gramine, folijs Salicis, Vitis, Solani, Nymphææ, Rosarum &c. per cubiculum sparsis.

CXIV.

Alimentorum vsus sit moderatus. Vt enim immodica Cibi quantitas malum auget, sic Inedia nimia vires prostermit. Ac ea adsumenda sunt quæ humectare & refrigerare corpus valent. Non igitur vt Celsus docet implendus est æger ne insaniat neq; ieiunio vexandus, ne ob imbecillitatem in Cardiacam incidat.

CXV.

Cibi igitur sint, Ptisanæ cremor, Passulæ maiores & minores, Lactuca, Spinachia, Acetosa, Buglossa. Pruna acida, Panis intinctus in vino granatorum vel succo Citri, Poma citria in orbiculos dissecta & aqua Rosarum aspersa plurimū conferunt. Alij cibi coquantur cum aceto omnes. In declinatione conferunt pisces saxatiles, caro pullorum.

Potus

CXVI.

Potus fit aqua hordei, cum passulis maioribus & minoribus ac seminibus frigidis preparata, Serum lactis Capri-
ni, Aquæ destillatæ refrigerantes, vt Endiuia, Cichorij, A-
cetosa, Lactucæ, cum Syrupo Violarum, Nymphææ, de Pa-
pauere, Vino Granatorum. Si Ventriculus fuerit debilis &
natura frigidior conuenit Cinamomi decoctum. Interdū
præsertim si ægri adsueuerint, & vires concidant, conce-
ditur Vinum *ὀλιγοφόρον*, cum aqua Rosarum aut Cichorij di-
lutum.

CXVII.

Motus cum corpus exagitet & exiccet, vires deiciat,
atq; somnum impediat & ægros macilentos reddat, potissi-
mum delirantes, vitandus est, & quies imperanda, quæ
corpora humectat & humiditatem conseruat.

*Gal. 3. var.
Vist. acut.
com. 1.*

2. Aph. 28.

CXVIII.

Animi quoque perturbationes vehementiores pluri-
mum nocent, Ira igitur fugienda, & auertenda omnia ea,
quæ ad iram commouere, ac furorem inducere valent. Quæ
verò gaudium adferunt, vt instrumenta Musica, quæ horri-
bilem & magnum sonum non edunt, conducunt. Amici
etiam vel familiares interdum sunt admittendi, qui blan-
ditijs ad quietē admoneant, vel etiam increpent. Si blan-
ditia & admonitiones nullum locum habent, ligandus est
æger.

CXIX.

Somnus quoq; conciliandus est. Eo enim pleriq; fane-
scunt. Nec vllum præstantius remedium delirantibus, teste
Tralliano, reperitur, quod & Rhafes & Auicenna testan-
tur. Ideoq; contineatur æger loco in obscuro, non lucido.
Lux enim Spiritus commouet, Tenebræ verò sopiunt. Pi-
cturæ quoque variarum rerum, quæ Spiritus exagitant, è
Cubili remouendæ sunt.

1. Cont. 14.

CXX.

D

Ex-

Excrementa alui mouenda. Nam retenta morbum
augent, putridis vaporibus ad caput ascendentibus.

CXXI.

Præscripta & constituta diæta ad Pharmaciã & Chi-
rurgiam deueniendum est, quorum beneficio materia eua-
cuatur, auertitur, repellitur, resoluitur & intemperies ca-
lida, aliaq; accidentia corriguntur & partes corroborantur.

CXXII.

Euacuatur materia per venæ sectionem, clysteres &
purgantia medicamenta.

CXXIII.

*Gal. 13.
meth.*

Venæ sectio (quam Græci omnes suadent excepto A-
sclepiade, cuius sententiam Celsus quoq; increpat) statim
in principio, modò vires constant & aliud nullum occurrat
impedimentum, instituenda est. Periculum enim in mora
est, nec vllū præsentius huic malo remediū reperiri potest.

CXXIV.

Si sit plethora totius, Vena Iecoraria, aut media secan-
da est. Sin minus & in capite materia consistat, Cephalica,
post vbi materia fluxa est, Vena frontis aperienda est,
quæ vt attollatur & in conspectum veniat, fascia lata col-
lum artificiosè constringendum est. Quidam venam sub
lingua incidunt, alij venas narium aperiunt. Nonnulli Hi-
rudines fronti, temporibus & naribus adfigunt.

CXXV.

Tundenda est verò vena eo tempore, quo minus furere
videtur æger. In biliosa Phrenitide foramen Venæ angu-
stius, in Melancholica latius, in Sanguinea mediocre esse
debet, postea vulnusculum accuratè deligandum, aut quod
alij suadent pice obducendum, vel medicamentum ex A-
loë, albumine oui, pilis leporum combustis confectum,
imponendum, ne temeritate aut furore ægri ligatura sol-
uatur

uatur, & sanguis rursus profluat, quod absq; detrimento & iactura virium insigni non accidit.

CXXVI.

Quantum sanguinis sit detrahendum, ex morbi magnitudine, robore & corporis natura, aetate, temporis, Cœli ac aëris constitutione mensurare licet. Plus extrahitur in sanguinea, minus verò in biliosa, vt Capiuaccius docet.

CXXVII.

Clysteres sunt emollientes & alterantes, clementiores tamen, parati ex decocto Maluarum, Betæ, Parietariæ Mercurialis, Lactucæ, Violarum, Cichorij, Hordei, Sem. 4 frigidis maioribus. Cassia pro Clysteribus, Elect. de succo Rosarū Diacatholiconis, Hiera picra, Ol. Rosarum, Violarum, Nymphææ, Melle Rosato, Saccharo rubro, Sale & similibus.

CXXVIII.

Glandes quoq; iniiciuntur seu suppositoria ex Speciebus Hieræ picræ, ex melle & sale, Item ex puluere Centaurij, melle & sale præparata, si acutiora quis voluerit, Colocynthis & Diagridij aliquid addere licet.

CXXIX.

Purgantia medicamenta, quæ vsurpantur, quædam totum corpus euacuant, quædam caput tantum expurgant.

CXXX.

Quæ corpus totum euacuant, non admodum sint calida, ne humores multum commoueant, nec febrem & inflammationem augeant, sed mitigent & sanguinis aliorumque humorum feruorem extinguant & leniter expurgent.

CXXXI.

Huiusmodi sunt serum lactis, Tamarindi, Cassia, Manna, Rhabarbarum, Sena, Polypodium, Epithymum. El. lenitium, Indum, Diaprunum solutium, Syr. rosatus &

Violaceus solutiuis, de tribus &c. Pill. Aggregatiuæ, Au-
reæ, de Fumaria, Troch. de Rhabarbaro &c.

CXXXII.

Medicamenta quæ caput expurgant, per os & per nares
materiam educunt, cuiusmodi sunt Thymus, Pulegium, O-
riganum, Saluia, Maiorana, Piper, Zinziber, Mastix & alia,
ex quibus præparantur Gargarismi, Masticatoria & simi-
lia medicamenta.

CXXXIII.

Auertitur à Capite materia Venæ sectione, Clysteri-
bus fortioribus, & medicamentis dictis purgantibus, quæ
euacuant & simul humores ad infernas partes reuellunt, vt
ex sententia Hipp. Galenus docet.

CXXXIV.

Auertunt quoq; Sanguisugæ, fronti, temporibus ac
naribus adfixæ, & Cucurbitulæ cum scarificatione Occipi-
ti, spinæ, humeris & natibus adhibitæ, si ob aliquam cau-
sam vena secari non poterit: sine scarificatione verò appli-
cantur si vena secta fuerit.

CXXXV.

Idem præstant ligaturæ fortes, nec non frictions ex-
tremarum partium dolorificæ. Item lotiones manuum pe-
dumq; ex decocto Violarū, Lactucæ, Maluæ, Meliloti, Cha-
momillæ &c.

CXXXVI.

Euacuato corpore & auersa materia à Capite, repercu-
tientiã adhibenda sunt, vt materia ruens ad caput repella-
tur, & ipsum alteretur, ne ob immodicam caliditatem
promptius humores attrahat eisq; nimium repleatur.

*Gal. 1.
comp: med.
f. loca.
3. loc. aff.*

CXXXVII.

Hæc autem statim in principio Capiti applicanda, sine
vllis resoluentibus. Plurimum autem teste Galeno valet
Oxyrrhodon ex aqua Rosarum Aceto & Ol. rosaceo com-
posi-

*13. meth.
med.*

positum, vel potest parari decoctum ex Rosis, Violis, Solano, Lactuca, Nymphæa, capitibus Papaueris, cui additur Oleum & acetum Rosaceum.

CXXXVIII.

Commodè etiam & cum fructu in Aq. rosarum, Viol. Plantaginis, Solani, Lactucæ, panni intinguntur & collo ad constringendas venas & arterias per quas humores ad Caput ascendunt, & refrigerandam & incrassandam materiam, iniiciuntur & applicantur.

CXXXIX.

Suffitus & odora menta fiant ex aq. Rosarum, Plantaginis, Acetosæ, Violarum, Camphora, Aceto, & similibus quæ refrigerandi vim habent.

CXL.

In horum medicamentorum applicatione hæc diligenter obseruanda veniunt, Primùm ne longo vsu horum medicamentorum Cerebrum refrigeretur & contrarius adfectus, Lethargus nempe, inducatur; qui sequitur, si vapores in Cerebro retineantur.

CXLI.

Deinde vt medicamenta profundius penetrent & Caput onere leuetur, Capilli abradendi sunt, nisi frigus aut aliquid aliud id impediatur, tum vt pro diuersitate temporum, nempe in æstate tepida, in hyeme verò calida adhibeantur.

CXLII.

Porrò vt in principio repellentia tantum, ita in progressu nempe incremento & statu discutientia seu resoluentia addenda sunt, quæ crassos humores transpirare faciunt, cuiusmodi sunt Serpillum, Melilotus, Thymus, Althæa, quibus in Ol. rosaceo & chamomelino incoctis, caput irrigetur & vapor per nares suscipiatur.

CXLIII.

Deniq; in declinatione solis discutientibus, quibus & anodyna addi possunt, vti licet, cuiusmodi sunt Malua, Melilotus, Anethum, Camomilla, Stæchas, Origanum Fol. Lauri &c.

CXLIV.

Sunt qui ad resoluendum vtuntur animalibus exenteratis, eorumq; partibus, vt Gallo, Gallina, Columbo, Catulo lactente, per spinam seu dorsum & ventrem dissectis, pulmone Arietis aut eiusmodi Epate &c. Quæ omnia calentia adhuc magno Cerebri commodo Capiti admouentur & imponuntur.

CXLV.

Veteres squalore siccitate & vigilijs vrgentibus ægros aquæ dulcis balneo temperatè calido lauabant & perungebant. Recentiores balnei loco adhibent lotiones brachiorum & pedum adiectis refrigerantibus & humectantibus, vt fol. Violarum, Maluæ, Lactucæ, Papaueris, Hyoscyami, Fl. Nymphææ, Anethi, Camomillæ &c. quæ & auertunt & discutunt & somnum conciliant.

CXLVI.

Sed hæc dum fiunt omnia, alterantia quoq; nimirum refrigerantia & humectantia sunt ægro propinanda, nempe Aquæ vel decocta Rosarum, Endiuia, Cichorij, Lactucæ, Acetosæ, Solani, Syr. de Limonibus, Violarum, Acetosa, Portulaca, Cichorio, Granatorum, acetositatis Citri, Nymphæa, Papauere, Iuleb Violarum, Rosarum, Oxyfaccharum &c.

CXLVII.

Nec permittenda sunt corroborantia & simul refrigerantia, Conferu. Rosarū, Violarum, Nymphææ, Buglossæ, Hepaticæ, Cichorij. Ex speciebus conueniunt, Diamargariti frigidi, Diatrag. frigidi, Conf. manus Christi, Diacorrallium &c. Quæ aut per se aut commixta in forma Elestuarij, Morfulorum aut rotularum exhiberi possunt.

Deni-

CXLVIII.

Deniq; Symptomatum quoque, quæ in hoc morbo valdè ægrum adfligunt, habenda est ratio. Ea verò sunt Vigiliæ, Ischuria seu Vrinæ retentio, & Sitis.

CXLIX.

Ad vigilias sedandas somnifera conferunt, quæ intrò & exterius adhibentur. Præparentur igitur decocta ex folijs Lactucæ, Solani. fl. Nymphææ, Violarum. Sem. 4. frig. Papaueris capite vno vel altero, quibus adiunguntur Syr. Violarum, de Papauere, Cichorio &c.

CL.

Hæc si non proficient vel iuuant ad Opiata, quæ sunt Triphera magna, Requies Nicolai, Philonium Romanum seu Persicum, veniendum est, quibus tamen semper calefacientia adhibenda sunt vt eorum vis venefica corrigatur & obtundatur. Conueniunt quoq; pillulæ de cynoglossa. Ab Opij vsu prorsus abstinendum est, ne calor natiuus extinguatur.

CLI.

Exterius adhibentur lotiones manuum & pedum, conueniunt quoq; temporibus illita, vnguenta Populeonis, Alabastrinum: Ol. Rosarum, Violarum, Mandragoræ, Hyoscyami, quibus aliquid Croci & Castorei additur, & Opij, summa urgente necessitate.

CLII.

Alterum Symptoma est Ischuria, quando vrina supprimitur. Vrina igitur prouocanda est medicamentis diureticis, quæ tamen calefaciendi vim magnam non habent, ne calor & febris augeatur, vt sunt semina frigida maiora cum decocto Petroselini, Capillorum Veneris &c. propinata.

CLIII.

Alij vt Vrina proluciat, ex gutturnio in conspectu ægri in peluim suppositam sensim & altè cadendo effundunt
aquam,

aquam, vt vis expultrix ad reddendam & expellendam Vrinam irritetur.

CLIV.

Hæc si non sufficiunt frictiones conueniunt, & exterius regioni pubis imponuntur Cataplasmata & vnguenta ex Parietaria, Chærefolio, rad. Afari, Petroselini, quibus ad mollitiem coctis & contusis additur Ol. Scorpionum & butyri recentis, q. s. vt fiat Cataplasma vel vnguentum. Fomentationes quoq; fiunt & decocto Parietariæ Chærefolio &c.

CLV.

Oleum Scorpionum pectini & perinaeo illitum sua proprietate huic adfectui idoneum est. Nam vesica pruritus delectabilem sentiens ad Vrinam reddendam excitatur. Sunt qui in penis vel pudendi orificium pediculum vel camicem immittunt, vt Vrina proliciatur. Alij Saponem Venerum ano imponunt.

CLVI.

Sitis quæ ægros aliquando (quamuis plerumque sunt *Βαχυνίται* Phrenetici) torquet, extinguitur decocto Tamarindorum, hordei, cui admiscetur Syr. Violarum, Succo citri, Granatorum. In ore detineantur quæ refrigerandi & humectandi vim obtinent, & ob id noxas à calore protractas mitigant. Confert Rob de Ribes & Berberorum, vel eorum decocta, quæ æstuantem Ventrículum refrigerant, corroborant, Cibique appetentiam excitant.

CLVII.

Deniq; cum Cor quoq; ob vehementissimum calorẽ plurimum patiat, Sacculi & Epithemata regioni cordis & Carpo imponenda sunt quæ ex aquis seu decoctis refrigerantibus, quibus Species cordiales & alia conuenientia & corroborantia addi possunt parari solent.

F I N I S.


Fc 1249.
gn

ULB Halle 3
003 422 747


bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







an. XVI.

Theses Medicæ
DE
PHRENITIDE,

ad quas
D. O. M. A.
Præsides

IOHANNE SIGFRIDO PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE ET
in illustri IVLIA Professore, pro tempore amplissimi Collegij Medici Decano, & Academiae Vice Rectore;

Pro assumendo in arte Medica gradu Doctoratus
respondebunt:

M. GEORGIUS AEP LINVS Kitthingensis Francus.

IOHANNES MELLINGERVS Ienensis Physicus Hildesimensis.

IOHANNES MYLIVS Goldbergensis Lignicensium Physicus ord.

HENRICVS ADOLPHVS HORSTIVS Schvveidnicensis.

Citra præiudicium Eruditionis forte
locati.

*Fiet disputatio 4. Augusti hora & loco
consuetis.*

HELMAESTADII
Typis hæredum Iacobi Lucij, Anno
cl^o l^o xcviii.

